

HF uf 80 (14<sup>2</sup>/<sub>4</sub>)

UNDE HAURIANTUR

ET

QUOMODO SANCIANTUR

M. T. CICERONIS

OFFICIA

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARIENSI

C.-J. JEANNEL

IN EADEM FACULTATE LICENCIATUS, UNIVERSITATI AGREGATUS, SCHOLÆ  
NORMALIS OLIM ALUMNUS.




LUTETIÆ PARISIORUM

APUD E. THORIN,

VIA SANCTI MICHAELIS, 58.

M DCCC LXVII.



PPN 048464020









UNDE HAURIANTUR

ET

QUOMODO SANCIANTUR

M. T. CICERONIS

OFFICIA.

---

CAPUT PRIMUM.

**Officiorum, in libris de Officiis, principium  
et sanctio.**

§ 1. — *Officiorum principium.*

In primo *de Officiis* libro Tullius, more eorum qui rerum naturæ student, hominem tanquam animal quoddam considerat, ceteris animalibus assimilandum. Ut hominis rationem, usus, mores, leges a ceteris dignoscat, primum agendi rationem et mores omnium animalium oculis acutissimis discernere conatur. Quis hæc audeat recusare proposita? Quis negare possit hominem quoddam animal esse, necessitatibus vitæ sicut omnia animantia obnoxium, et certo naturæ impulsu ad quærenda cibaria omniaque ad vitam necessaria propensum?

Si forte a te quæretur quem ad usum equus natus sit, forma corporis equini respondebis inspecta: ad cursum; si quæretur ad quem usum canis, impetu proprio et ins-

tinctu canum perspecto dices : ad venationem. Ita cujuscumque animalis natura cognita, facile hujus consuetudo, vis et mores convenientes explicabuntur. Quin et mox inveniens omnia animalia ea tantum posse conditione vivere, ut suam quodque sequatur observetque naturam. Ergo sua quoque homini observanda est natura, ut vitæ suæ rationem cognoscere valeat, moresque sibi possit facere congruentes.

Hæc est humana *natura*, ex qua, velut ex fonte, omnem officiorum derivari regulam Ciceroni placet : quippe cui *fines* ita observandæ videntur, ut eas quasi principium quoddam universum sine ulla disceptatione accipiat. Permulta primum communia hominibus ceterisque animantibus insita esse demonstrat et innata : « Principio, generi animantium omni est a natura tributum ut se, vitam corpusque tueatur, declinetque ea quæ nocitura videantur, omniaque quæcumque ad vivendum sint necessaria anquirat et paret, ut pastum, ut latibula, ut alia generis ejusdem (1). » Hæc eadem suimetipsius conservandi natura inest homini ; communis autem est illius animantiumque omnium « conjunctionis appetitus, procreandi causa, et cura quædam eorum quæ procreata sunt (2). »

Si autem penitus exquiremus quæ sit hominis natura, mox inveniemus inter eum et cetera animantia hoc capitale interesse, quod solus, se ipsum noscens, *vi* quadam interna instruitur, quam *rationem* vocamus : quæ vis naturalis, quam nemo nisi sophistes in semetipso insitam non perspiciat, nos invicta necessitate impellit ad permulta quæ a belluis omnino ignorantur : atque necesse est nos ex hac *ratione* propria propriæ vitæ præcepta haurire, a vita belluarum differentis. Quod nisi faciemus, naturæ nostræ repugnantes, ipsis brutis brutiores erimus, quæ suam quæque naturam in omni suæ vitæ usu persequuntur.

(1) *De Officiis*, I, 4.

(2) *Ibid.*

In *natura* hominis *ratio* : ad mores ergo suos componendos, homini quærenda sunt ea, quæ *naturalis* illa *ratio*, vel *intellectus*, vel quocumque nomine illud nobis omnibus insitum designari placeat, rogare sibi et appetere videatur.

« Hæc natura, vi rationis, hominem conciliat homini, et ad orationis et ad vitæ societatem (1) » : hoc est principium omnis reipublicæ, atque hunc naturalem et necessarium hominibus *instinctum* Cicero præterdit quasi fundamentum omnium societatum, vel totius generis humani, vel patriæ, vel familiæ, vel conjugii : « Impellit ut hominum cœtus et esse et a se obiri velit ; ob easque causas studeat parare ea quæ suppedient et ad cultum et ad victum, nec sibi soli, sed conjugii, liberis, ceterisque quos caros habeat tuerique debeat (2). »

Hæc etiam natura, vel ratio, hominem impellit ad inquisitionem veri atque investigationem. Quum ad usum tendat Tullius, minime curat in his libris quid sit verum exquirere : hoc tantum notat, scilicet cognitionem rerum, aut occultarum aut admirabilium, curiositate mentis insita ad beate vivendum necessariam duci ; ex quo, neque definiens neque perpendens verum, neque de facultate dignoscendi veri, de probabilitate, de errore quidquam unquam disputans, hoc tantum intelligit et affirmat, « quod verum, simplex, sincerumque sit, id esse naturæ hominis aptissimum (3). » Omnibus id placuit philosophis, hominem natum esse ad veritatem ; atque Cicero, quum omnem de veri natura disputationem rejiciat, certior videtur esse suam omnibus acceptam fore doctrinam. Ni fallor, ex ea negligentia, aut potius audacia, constat, quanto magis ad utilitatem quam ad ipsam scientiam in libris *de Officiis* Cicero tetenderit.

Quumque istam, quam instituit, viam in inquirenda ho-

(1) *De Officiis*, I, 4.

(2) *Ibid.*

(3) *Ibid.*

minis natura pergat, homini videt adjunctam esse quamdam appetitionem, ut nemini pareat, nisi « utilitatis causa, juste et legitime imperanti (1). » Hoc autem admirabile existimo, philosophum illustrem, Platonicis libris imbutum, omni doctrina et Stoica et Academica eruditum, quum de moribus et officiis scribat, minime quærere an homo liber sit in bono malove eligendo, et contentum esse, si ostenderit homini innatum esse amorem imperandi, ab injusta dominatione alienissimum. Quis nunc non confiteatur hunc librum non omnino moralem esse, sed potius politicum, quum de officiis disserens auctor, conscii animi libertatem demonstrare atque vindicare negligat?

Quin et quid sit bonum, quid malum definire item omittit : qua tamen sine scientia et cognitione boni atque mali, nulla honestas existere potest, nulli mores laudari possunt. Hæc autem demonstranda definiendaque auctorem a consilio avocassent, atque ad inceptum pergens, nullum aliud boni mali que χρητήριον proponit, nisi « unum hoc animal sentire quid sit ordo, quid sit quod deceat, in factis dictisque qui modus (2). » Nemini negandum videbitur pulchritudinem, constantiam, ordinem in consiliis factisque conservanda esse : inde nihil unquam « indecore » faciendum.

Hæc summa est rerum e quibus ipse dicit « conflari et effici quod quærit, honestum (3); » gaudetque quod « formam ipsam et tanquam faciem honesti videat, quæ, si oculis cerneretur, mirabiles amores, ut ait Plato, excitaret

(1) *De Officiis*, I, 4.

(2) *Ibid.* — Quanquam se « et Socraticum et Platonicum esse velle » dicit (*De Officiis*, I, 1); et se Stoicos secuturum, « non ut interpretem, sed iudicio arbitrioque suo » profitetur (*Ibid.*, I, 2); et a se hæc, quæ in libris *de Officiis* desunt, aliis libris tractata fuisse memorat (*Ibid.*, I, 2; II, 2; III, 32); fatendum tamen est nullum aliud χρητήριον in his libris invocari.

(3) *De Officiis*, I, 4.

veritas  
esse  
si ut per  
object  
Wp  
e crederetur  
aut per di  
memorari

sapientiæ (1). » Omnem hominis naturam in his quatuor partibus definiendam esse sibi persuadet, aut potius lectori persuadere cupit, scilicet in perspicientia veri solertiaque; in societate tuenda, tum privata, tum publica; in libertate servanda; in ordine et modo omnium quæque fiunt et dicuntur.

Quum ethicum librum scribat, et naturam rationemque humanam exploret, quot et quanta conscius prætermittit! Nil de mentis aut animæ natura; nil de bono aut de fine boni; nil de natura hujus veri hujusque ordinis ab ipso laudati conquirat: quippe quæ omnia, neque civibus omnibus accepta forent, neque ad rempublicam satis pertinerent. Honestatem quamdam fingit, politicam tantum, quam ab omni deo, ab omni notione animi sejunctam proponit, ita ut et facilius omnibus accepta videatur, et aptior fiat ad restituendam civitatem.

absurdi

§ II. — *Officiorum sanctio.*

Nunc autem nobis inspicendum est, quomodo hos mores civiles civibus acceptos efficere conatus fuerit auctor, quæque audacia Jovem omnesque hujus socios deos deriserit.

Jam vidimus illum, haud secus ac qui nostra ætate moralem philosophiæ partem a Deo segregandam esse putant, omnem divinam morum officiorumque legem abjecisse, totamque honestatem ex hominum natura hausisse. Si forte, quum fidem et jusjurandum observandum prædicet, de Jove fiat mentio, exclamat: « Num iratum timemus Jovem? At hoc quidem commune est omnium philosophorum, non eorum modo qui deum nihil habere ipsum negotii dicunt, et nihil exhibere alteri, sed eorum etiam qui deum semper agere aliquid et moliri volunt, nunquam nec irasci deum nec nocere. Quid autem iratus Jupiter plus nocere potuisset

t. b.

(1) *De Officiis*, 1, 5.

quam nocuit sibi ipse Regulus (1) ? » Longius et eloquentius de illo Regulo disputat Tullius, qui se, ut omnibus compertum est, ipse Carthaginensibus jurejurando alligatus restituit, quum minime ignoraret, se ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci (2). Iterum in eam Jovis derisionem redit Tullius : « Non est, inquit, Jupiter metuendus, neque iratus nocet, qui neque irasci solet, neque nocere.... Quod autem affirmate quasi deo teste promiseris, id tenendum est. Jam enim non *ad iram deorum, quæ nulla est, sed ad justitiam et fidem* pertinet (3). »

Fides! Attamen sine « Fide » dea, quam vicinam Jovis in Capitolio veteres Romani collocarant, et quæ justitiæ custos atque vindex adorabantur, quænam societas, quæ respublica subsisteret? Si omnia jam summoveris, quibus vulgo homines in cultu boni honestique continentur, quæ deinde leges observabuntur? Si antiquam illam vitæ humanæ sanctionem rejeceris, Deumque bonos remuneraturum, malosque puniaturum negaveris, qua spe boni in honestate deinde confirmabuntur, quove terrore mali arcebuntur a pravitate omni et scelere? Quæ denique stabit « Fides ? » Noluit tamen ullum neque latorem, neque vindicem legis quam civibus proponebat Tullius invocari Deum. Quique hodie eadem præ se ferunt, non melioribus sane causis impelluntur, quam quæ in eam viam quondam induxerunt servatorem illum et amatorem inclytum rei romanæ.

Nostris temporibus, sanctionem parum curant qui nullam opinantur esse inter Deum et officia communitatem : amabilem per se proclamant virtutem, et gaudia secreta celebrant, quæ

(1) *De Officiis*, III, 28.

(2) *Ibid.*, III, 27.

(3) *Ibid.*, III, 29.

pertentant tacite consciam suæ virtutis mentem. *Naturam* a Tullio invocatam nos sequi jubent, neque multi pensi habent quonam pretio hæc naturalis honestas colenda esse videatur. Sed novi isti morum præceptores non ad *usum*, sicut Tullius, tendunt; et quamquam patriam amant, non illis in animo est hanc quasi ex morte resurgentem in pristinam libertatem et gloriam restituere. Quum de religiosis doctrinis homines non consentiant, multique scepticam quamdam et rationalem impietatem profiteantur, recentiores isti officiorum institutores timore eo percelluntur, ne ista diversitate doctrinarum omnis disciplina moralis, plus minusve usque ad hanc diem religionibus fulta, deficiente omni religione pessumdetur. Potiusque, ni fallor, religionibus nostris destructis, morum præcepta qualiacumque servare, quam sanctionem vitæ novam omnibusque placentem afferre sibi proponunt. Ergo de sanctione tacent, nisi forte illam incertam variamque sensu uniuscujusque definitam mussitant. Insito quodam amore virtutis et nativa honestate in cultu honesti laudibusque virtutis retinentur; et quum de natura animæ, de fine hominis, de Deo dubitent, moresque tamen utilissimos omni opera servandos esse censeant, mores a Deo liberant, Deumque omnem et quemcumque Dei cultum abjiciunt, perinde ac victam fluctibus ratem pondere inutili nauta levat expses. In actione autem Tullius omnem laudem virtutis sitam esse censet, neque actionem esse ullius legis, nisi sanciatur :

Quis enim virtutem amplectitur ipsam,  
Præmia si tollas (1)?

De diis, de Tartaro et Elysio minime consentiunt cives;  
philosophi de *metaphysicis* disputant, aut omnino *metaphy-*

(1) Juvenalis, *Sat.* X, 144.

Secundum  
indignum  
dicitur  
etc.

Set bin

*Atamen  
juste aut  
Cicero*

sica esse negant, ipseque Panætius, dux Ciceronis, vult quidquid natum sit interire (1).

Attamen sanctione qualicumque opus erat Tullio, ut sua commendaret officia civibus. Viro eruditissimo C. J. Benoît visus est Tullius hominum quibuscum vivimus opinionem et famam ut sanctionem legis invocasse moralis (2). Hac tantum ostentatione et gloria sanciri præcepta Tulliana mihi minus placet; et quamquam permulta de bona fama, de apparatu exteriori morum, de cultu etiam corporis et habitu, in primo libro præscripsit, illum tamen et sensu et experientia præditum fuisse majore opinor, quam qui tam infirme firma præcepta sanciret. Quum in locum virtutis romanæ deficientis stoicam substituere virtutem aggredere-  
tur, num sperare posset se fama sola infamiam publicam expurgaturum? Quid valebat opinio, diris Catilinæ et Cæsaris temporibus? Quis tunc pro gloria nummos, honores, voluptates linqueret? Quumque in *Somnio Scipionis* vanitatem et illecebras gloriæ humanæ divina pene eloquentia et altissimo contemptu oppresserit, non tanti gloriam aestimasse videtur noster, ut illi tantum locum tantamque potentiam in ædificio morum restituendorum assignaret. « Vera, inquit, et sapiens animi magnitudo, honestum illud quod maxime natura sequitur, in factis positum, non in gloria judicat... Qui ex errore imperitiæ multitudinis pendet, hic in magnis viris non est habendus. » Quin et gloriam quamquam non indignam cura et studio viri boni judicat, attamen hanc periculosam habet, si quis bonus est, et lubricam: « Facillime ad res injustas impellitur, ut quisque est altissimo animo, et gloriæ cupiditate. Qui locus est

(1) *Tusc. Quæst.*, I, xxxii.

(2) *Historica de M. T. Ciceronis Officiis commentatio*, V: *Sublata deorum auctoritate immortalitateque animarum, quibus virtus sancitur, omnem jam officiorum institutionem Cicero ad decoram ostentationem approbationemque hominum instruit.*

sane lubricus, quo vix invenitur qui laboribus susceptis periculisque aditis, non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam (1)... Gloriæ cupiditas eripit libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio (2). »

Firmiorem quamdam et magis optabilem sanctionem, temporibus suis et ingenio romano aptiorem, quærere debuit Tullius, quam eo facilius usurpavit quod ipsa doctrinæ stoicæ librisque Panætii inerat.

Attentum semper in re, quæstuosum et avarum fuisse Romanum constat. Remque suam, remque publicam, res etiam divinas ad commoda sua et emolumenta semper tractarunt Quirites : cum ipso Jove rationem conferebant. Hanc ergo avidis Romanis unam sanctionem propositi officii ostendit, *utilitatem*. Hoc uno separatur Tullius a recentioribus laudatoribus morum sine Deo, sine spe vitæ futuræ colendorum. Utilitas allicere debuit Romanum : nisi virtuti, utilitati saltem suæ pareret, et utilitatis gratia virtutem amplecteretur. Ad hanc utilitatem virtutis demonstrandam, duo ex tribus libris consecrantur ; et postquam in primo fontem honesti, quatuorque præcipuas totius honestatis partes ostendit, in secundo de natura et origine et paratione utilitatis disserit.

Principio negat honestum esse aliquid, quod utile non sit, et utile quod non honestum ; atque hunc syllogismum offert quasi demonstrationem propositæ inter honestum et utile communitatis : quidquid *justum* sit, id etiam *utile* esse ; itemque, quod *honestum*, idem *justum* ; ex quo, quidquid *honestum* sit, idem *utile* (3).

Eamdem rationem persequens, ostendit quæcumque ho-

(1) *De Officiis*, I, 19.

(2) *Ibid.*, I, 20.

(3) *Ibid.*, II, 3.

minibus utilia sint ex labore et industria aliorum hominum oriri : nam « neque valetudinis curatio, neque navigatio, neque agricultura, neque frugum fructuumque reliquorum perceptio et conservatio sine hominum opera ulla esse potuisset (1). » Jamque enumerat quæcumque utilia homini ab homine socio præbeantur; contra depingit quot et quanta mala homini homo infestus afferat. Inde liquet omnium pariter interesse, alios omni opera sibi conciliare; inde manifesto apparet, nullum subsistere posse regnum, nisi fide et caritate fundetur, quæ solæ societatem et constituere et tueri valent inter homines. Utque exemplis propositum illud fulciat, multa eloquentia demonstrat qualia commoda et quantam potestatem veteres Romani ex honestate et justitia receperint. Mox et ad inceptum redit, et eo semper studio impulsus, ut optimates ab omni injustitia in habenda republica revocet, tyrannosque debellet, nullam esse perfectam gloriam denuntiat, nullumque firmum imperium obtineri, nisi deligat multitudo, fidemque habeat ducibus.

Quid plura? In isto secundo *Officiorum* libro nihil aliud explicatur, nisi utilitas atque majestas pulchræ et bene ordinatæ civitatis. Definiuntur officia principum; describuntur regulæ juvenibus observandæ, qui civitati prodesse et perfectam gloriam virtute ac dignitate adipisci cupiant. Splendidis, Ciceroneque dignissimis, celebratur laudibus illa forensis eloquentia, quæ toties rempublicam e periculo servavit; causasque oratoris causidicus et orator inclytus agens omni ardore et amore, ostendit quanta omnibus civibus utilitas ex rostris et e senatu percipiatur, quum bona civitatis administratio uniuscujusque rem et tranquillitatem augeat. Consulibus, senatoribusque et omnibus populi magistris quæ utilissima censeat esse ad gubernandum consilia commendat: liberalitatem extollit; hospitium, clientelam, dona collaudat; abstinentiam Africani in thesauris reipublicæ

(1) *De Officiis*, II, 4.

gerundis, liberalitatemque privatæ pecuniæ commemorat. Denique ad humiliora præcepta descendit, proclamatque quantum prosit valetudini, rei, familiæ, si quis in honestate semper, et justitia, et temperantia se contineat.

Nec satis; in tertio libro iterum iterumque, Panætio auctore, repetit, nunquam posse utilitatem cum honestate pugnare; in exemplis diutius commoratus, demonstrare civibus contendit honestatem, etiamsi inutilis aut nocitura videatur, reipsa tamen utiliorem esse utilitate injusta. Si clara luce et vero aspectu intueri possent homines quid in omni conjunctione utilissimum sit ipsis, hoc idem esse viderent atque quod honestissimum, neque unquam inter electionem honesti vel utilis hæerent. Quin et se accepisse dicit Socratem, sanctissimum omnium philosophorum, « exsecrari solitum eos, qui primum hæc natura cohærentia opinione distraxissent (1); » atque principium et fundamentum totius operis repetens, *convenienter vivere naturæ* idem esse secundum Stoicos demonstrat, atque *convenienter utilitati*, quum summa utilitas hominis in propria natura observanda constituatur.

Quum autem actionem ante omnia exquirat, ei timor injicitur, ne tam pura morum præcepta difficiliora acceptu videantur; quamvis eloquenter communitatem honesti et utilis demonstrare conatur, non tamen sperare potest se civibus persuasurum esse, summam et integram honestatem nunquam cum præsentī utilitate pugnare. Ergo *ne quid nimis* in ipsa virtute colenda commendat, civesque ab honestate illa *perfecta* deterret, quam laudavere sapientes. Jam se patriæ multum profuisse opinabitur, si populum ex contemptu omnis honestatis et ex impetu in omnem voluptatem et commoditatem satis avocarit, ut *media* tantum illa, quæ dicunt Stoici, *officia*, cum omni genere humano communia, atque ad

(1) *De Officiis*, III, 3.

tuendam societatem omnino necessaria, et accipiant et perficere aggrediantur. Utque Quiritibus quam facillimam hujus bonæ honestæque vitæ tractationem comparet, multa et diversa exempla tum ex privata vita, tum ex publica sumit, « cum minutissimis istis nostrorum doctorum de conscientia quæstiunculis conferenda (1); » atque omnem curam animi omnemque ingenii acuitatem in hoc uno demonstrando consecrat, nihil esse unquam utile, quod non honestum; summam honestatem cum summa utilitate consociari atque confundi; et quum nihil hominibus naturalius utiliusque societate illa communi, quæ respublica est, unquam dari possit, nihil etiam honestius habendum esse, quam patriæ omni ope et industria et amore inservire.

Quis tunc sanus, etiam si non honestus virtute et conscientia sit, non consilio tamen atque utilitate fiat (2)?

(1) C.-J. Benoit, *Historica de M. T. Ciceronis Officiis commentatio*, VIII.

(2) Quanquam utilitatem suam a voluptate quam laudavit Epicurus summo studio discernit Tullius (*de Officiis*, III, 33), nulli tamen *Officiorum* lectori negandum videbitur, utilitate, summa sane et dignissima, sed tamen *utilitatis* tantum, hæc *Officia* sanciri.

---

## CAPUT SECUNDUM.

### **Libri de Officiis cum ceteris philosophicis Tullii scriptis collati.**

Injustiores autem in Tullium merito videremur, si ex tribus istis libris inferremus, ab illo nullum alium officiorum fontem acceptum fuisse, nisi naturam et rationem nullo modo definitas, sive prætenderemus nulla alia lege officia ejus sanciri, nisi fama et utilitate. Jure nobis objiceretur in his libris Tullium officia tantum, non officiorum originem aut sanctionem describere voluisse; multique Tullii defensores jure nobis dicerent illum in ceteris sæpius scriptis et unde hauriantur et quomodo sanciantur mores longius explicasse. Si quid ergo verum et probandum de Tulliana officiorum institutione præbere lectori benevolo cupimus, inspicienda nobis sunt quæcumque de moribus et officiis conscripserit: quæ quidem ad illustrandum summum illud veteris civis et philosophi opus, et quasi morale testamentum, maxime valebunt.

Tria vitia in libris *de Officiis* exprobramus:

1º Nullo pacto quid sit bonum, quid non, definire curavit Tullius: qua sine definitione, nulla potest esse boni malique recta notio aut libera electio.

2º Nullum aliud officiorum *κρίτηριον*, nisi naturam humanam naturæ bestiarum assimilata, nec ullo rationem pacto rationi divinæ consociatam, prætendit.

3º Nulla spe vitæ immortalis mores sancire curat.

Quæ quidem si Tullius in libris *de Officiis* neglexit, non hinc tamen inferre licet ea usquequaque ab illo fuisse neglecta.

§ 1. — *De finibus bonorum et malorum.*

Sunt quibus, ut Epicuro, placet, fines bonorum et malorum naturæ nostræ insitorum, voluptate tantummodo et dolore contineri (1). Omnia dicunt animantia, inter quæ homo sane numerandus, voluptatem summum bonum appetere, dolorem autem summum malum fugere: quæ quidem naturæ animantium inesse contendunt, sicut et igni calorem aut melli dulcedinem. Non autem credendum est eos adeo crasse voluptarios esse, ut eam solam voluptatem habendam esse censeant, quæ sensus afficiat: sed animi gaudium et tranquillitatem, anxietatisque et timoris vacuitatem, summam et rectam voluptatem collaudant (2). Inde judicant eas quas vocamus vulgo virtutes, sapientiam, temperantiam, fortitudinem et justitiam, a voluptate sejungi non posse, quum ad removendos animi terrores, ad dolores evitandos aut forti pectore ferendos, ad spem firmandam societatemque tuendam, commoditates conciliandas, vitam beatam denique parandam maxime valeant (3).

Quæ ad argumenta refellenda Tullius optime dicit, de bestiis iudicium, quum de homine agatur, minimam auctoritatem habere (4); et ab Epicuro negligi quod summum ac præcipuum in homine est, *rationem*, quæ sane pronuntiat de voluptate « nihil esse ei loci, non modo ut sola ponatur in summi boni sede, sed ne illo quidem modo, ut ad honestatem applicetur (5). » Quis autem dicere audeat voluptatem esse summum finem homini propositum, quum proprium sit omnium excellentium virorum voluptatem

(1) *De Finibus*, I, 7.

(2) *Ibid.*, I, 10, 11.

(3) *Ibid.*, I, 12-18.

(4) *Ibid.*, II, 11.

(5) *Ibid.*, II, 12.

in vno  
pater vno  
nisi

spernere, et, sine ullo doloris metu, de omnibus gentibus optime mereri, opem indigentibus salutemque ferre, vel Herculis perpeti ærumnas (1) ?

Sunt autem quibus, ut Stoicis, placet, officia a natura repetenda esse, quum minime naturam definiant; æstimabiliaque ea judicent, quæ secundum naturam sint, contraque inæstimabilia, quæ sint naturæ contraria. Quæ æstimabilia et secundum naturam sunt, ea propter se sumenda; contrariaque item propter se rejicienda (2). Natura, qualiscumque est, sua cuique animanti observanda: ergo honestum nobis observandum, quod videtur naturæ nostræ consentaneum. Summum bonum cuique animanti est, naturæ convenienter vivere suæ; ergo summum bonum homini proponitur quod honestum est: honestum solum bonum (3). Nulla felicitas, nulla utilitas esse potest, nisi in observanda natura: ergo quod honestum, idem et bonum, et utile. Istam doctrinam, quam in libris *de Officiis* resumpsisse videtur Tullius, communem esse et Stoicis et Peripateticis dicit, qui non rebus, sed verbis tantummodo discrepant (4).

Hujus autem doctrinæ vitium Tullius ostendit, quum et Stoicis, et Academicis et Peripateticis objicit, a nullo eorum definitam fuisse eam, ex qua officia et fines bonorum atque malorum cognoscantur, naturam. Qui quidem hoc primum neglexerunt, naturam hominis duplicem animo constare, et corpore (5). Hoc deinde discernere omiserunt, quid ratione, quid autem sensuum et cupiditatum impulsu in animo fiat (6). Si veras autem fines bonorum et malorum

(1) *De Finibus*, II, 35.

(2) *Ibid.*, III, 6.

(3) *Ibid.*, III, 8.

(4) *Ibid.*, III, 12 et seq.

(5) *Ibid.*, IV, 7.

(6) *Ibid.*, IV, 14.



ratione gignuntur, qua nihil est in homine divinius (1). »

Quid plura? Inde fit ut quaecumque mens humana appetat natura, scientiam, libertatem, honestatem, societatem, amicitiam, ea sint summo studio quaerenda, quum in his supremum humanæ naturæ bonum definiatur.

§ 2. — *De natura et ratione.*

Sunt autem multi, qui cupiditatibus caligantes, vel falsis transversum acti doctrinis, plus minusve ab illa natura deficere poterunt, quin et prætere nullam esse legem, quæ ipsos suæ naturæ parere jubeat. Unde apparet, et naturæ humanæ leges, et vim rationis qua homo a ceteris animantibus discernitur, tam firmiter definiendas et demonstrandas esse, ut nemo earum auctoritatem et imperium ejurare queat.

In primo *de Legibus* libro, qui ceteris Tullii operibus multo præstantior habendus est, altius juris principia repetit, nec jam animalibus, sed ipsi Deo assimilandum hominem judicat. Ut naturam juris explicet, eam a natura hominis repetendam censet (2), et hanc humanam naturam multo verius atque dignius quam in primo *de Officiis* libro definire aggreditur.

Ac primum hoc, quod rarius apud philosophos antiquos expressum invenimus, affirmat, et quasi principium totius philosophiæ præterat, scilicet hominem a Deo creatum esse: « Animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum esse a supremo Deo. Solum est enim ex tot animantium generibus atque naturis particeps rationis et cogitationis, quum cetera sint omnia expertia (3). »

(1) *De Finibus*, V, 13.

(2) *De Legibus*, I, 5.

(3) *Ibid.*, I, 7.

*Non  
refertur  
mor  
Cicero*

Quæ est autem illa *ratio*, qua natura hominis, a supremo Deo generata, cetera animantia supereminet omnia? Jam eam magnifice definitam invenimus, quum Tullius proclamât hanc esse rationem « summam (1), qua nihil, in omni cœlo atque terra, divinius (2). » Hæc ergo ratio non humana tantum dos habenda est, sed perfecta quædam et æterna cogitatio, qua Dei sapientia constituitur. Hæc hominem a bestiis ratio adeo discernit, ut in hominibus nulla sit gens tam immansueta quæ divinæ hujus rationis non particeps esse videatur. Hæc ergo ratio homini tribuit quamdam cum Deo similitudinem (3). Quum eadem ratio, in Deo quidem perfecta et quasi majorum gentium, in homine, quamquam quasi minorum gentium, reipsa sit, homini cum Deo est « societas (4), agnatio, cognatio (5). »

Unde fit ut « sui ipse nemo tam similis sit, tam par, quam omnes inter nosmetipsos sumus » communi illa divinæ rationis dote (6).

Unde fit ut, quum ratio nobis cum Deo communis sit, naturam ipsi nostram inspicientes, veram et rectam, imo et æternam rationem cognoscere possimus;

Et quum lex sit « ratio summa (7), » communio nobis et legis et juris cum summo Deo instituat (8).

Non ergo de moribus, neque etiam de civitate variæ leges sunt; sed una lex est, summa ratio, quæ in divina nostra natura et in anima nostra « a Deo ingenerata (9) » constituitur; quæ natura vel ratio a corporis obsequio indul-

(1) *De Legibus*, 1, 6.

(2) *Ibid.*, 1, 7.

(3) *Ibid.*, 1, 8.

(4) *Ibid.*, 1, 7.

(5) *Ibid.*, 1, 8.

(6) *Ibid.*, 1, 10.

(7) *Ibid.*, 1, 6.

(8) *Ibid.*, 1, 7.

(9) *Ibid.*, 1, 8.

7<sup>o</sup> ill. a. per ipse videtur s. p. 1.

gentiaque unumquemque revocat, eique suadet ut voluptatem sicut labem aliquam decoris opprimat, ut mortis dolorisque timorem abjiciat, ut societatem caritatis coeat cum suis, cultumque Dei et puram religionem suscipiat, « et exacuat illam ut oculorum sic ingenii aciem, ad bona deligenda, et rejicienda contraria (1). » Namque, natura nostra et ratione ducibus, et bonum et malum, honesta quoque et turpia dijudicabimus (2); et perfecta ratione, quæ « nominatur rite sapientia (3) » *legem* cognoscemus :

« Est quidem vera lex recta ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna; quæ vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat; quæ tamen neque probos frustra jubet aut vetat, nec improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest; nec vero aut per senatum aut per populum solvi hac lege possumus; neque est quærendus explanator aut interpret ejus alius, nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac : sed et omnes gentes et omni tempore una lex et sempiterna et immutabilis continebit; unusque erit communis quasi magister et imperator omnium Deus, ille legis hujus inventor, disceptator, lator; cui qui non parebit ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernatus, hoc ipso luet maximas pœnas, etiamsi cetera supplicia quæ putantur effugerit (4). »

Ex cognoscenda autem et providenda lege orta virtus appellabitur *prudentia* : « Quid dici aut cogitari potest beatius (5)? »

(1) *De Legibus*, I, 23.

(2) *Ibid.*, I, 17.

(3) *Ibid.*, I, 7.

(4) *De Republica*, III, 17, apud Lactant., VI, 8.

(5) *De Legibus*, I, 23.

§ III. — *De immortalitate.*

Quamquam ex his quæ de natura et ratione et lege dicit Tullius, satis apparet ab illo animum et divinum, et ad divinam vitam natum haberi, quibusdam tamen aliis ejus scriptis immortalitatem non speratam modo, sed promissam et sponsam invenimus.

In tertio *de Republica* libro, quem truncum atque mutilum accepimus, sententiam hanc, prope poeticam, laudabat Augustinus : « Homo non ut a matre, sed ut a noverca natura editus in vitam corpore nudo, et fragili, et infirmo; animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines; in quo tamen inesset tanquam obrutus quidam divinus ignis ingenii et mentis (1). » Quæ quidem spes vitæ futuræ corroborata sane videtur in illo *Scipionis Somnio*, quod libenter ut veram Tullii de immortalitate doctrinam acciperemus, nisi potius auctor magistrum Platonem æmulatus videretur, quam propriam opinionem peregisse : « Sic habeto, non esse te mortalem, sed corpus hoc; neque enim tu es quem forma ista declarat, sed mens cujusque, is est quisque, non ea figura, quæ digito demonstrari potest. Deum te igitur scito esse, siquidem Deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui providet, qui tam regit et moderatur et movet id corpus cui præpositus est, quam hunc mundum ille princeps Deus; et ut mundum ex quadam parte mortalem ipse Deus æternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet (2)... Quum pateat æternum id esse, quod a se ipso moveatur, quis est, qui hanc naturam animis esse tributam neget? Inanimum est enim omne quod pulsus agitur externo; quod

(1) *De Republica*, III, 1. Cf. Villemain, *Trad. de la Rép., Discours préliminaire.*

(2) *Ibid.*, VI, 17.

autem animal est, id motu cietur interiore et suo : nam hæc est natura propria animi atque vis. Quæ si est una ex omnibus quæ se ipsa semper moveat, neque nata certe est, et æterna est (1)... Hanc tu exerce in optimis rebus : sunt autem optimæ curæ de salute patriæ. Quibus agitated et exercitatus animus velocius in hanc sedem et domum suam pervolabit. Idque ocius faciet, si jam tum quum erit inclusus in corpore, eminebit foras, et ea, quæ extra erunt, contemplan, quam maxime se a corpore abstrahet. Nam eorum animi, qui se corporis voluptatibus dederunt, earumque se quasi ministros præbuerunt, impulsuque libidinum voluptatibus obedientium, deorum et hominum jura violaverunt, corporibus elapsi, circum terram ipsam voluntantur, nec hunc in locum, nisi multis exagitati seculis, revertuntur (2). »

Num commemoranda sunt quæcumque Tullius de immortalitate animi, de vita futura, de pœnis aut gaudiis post mortem sperandis conscripserit ?

« Ex vita ita discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo... Quod si in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, libenter erro ; nec mihi hunc errorem quo delector dum vivo extorqueri volo (3). »

« Animus certe nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrabi potest : nec interire igitur (4). »

« Profecto tunc erimus beati, quum, corporibus relictis, et cupiditatum et æmulationum erimus expertes. Quodque nunc facimus, quum laxati curis sumus, ut spectare aliquid velimus et visere, id multo tum faciemus liberius, totosque nos in contemplantis rebus perspiciendisque po-

(1) *De Republica*, VI, 18.

(2) *Ibid.*, VI, 19.

(3) *De Senectute*, 23.

(4) *Tusc. Quæst.*, I, 29.

nemus, propterea quod et natura inest mentibus nostris insatiabilis quædam cupiditas veri videndi; et oræ ipsæ locorum illorum quo pervenerimus, quo faciliorem nobis cognitionem rerum cœlestium eo majorem cognoscendi cupiditatem dabunt (1). »

« Non esse mens divina sine ratione potest, nec ratio divina non vim in rectis pravisque sancendis habere (2). »

Quæ sane vis vana sæpius evaderet, si tota hominis vita in finibus hujus terrestris vitæ contineretur.

(1) *Tusc. Quæst.*, I, 19.

(2) *De Legibus*, II, 4.

## CAPUT TERTIUM.

**Quibus temporibus et qua mente libros *de Officiis* conscripserit Tullius.**

Qui fit ergo ut, in hoc supremo Tulliani ingenii opere, nil de Deo, nil de vita futura, nil etiam de divina hominis origine memoratum inveniamus? Qui fit ut exquisita illa officiorum institutio et principiis et sanctione omnino careat?

Quum hos libros Tullius Ciceroni suo Cratippi discipulo mitteret Athenas, tunc difficillimæ temporum angustiae, tunc tristissima omnium rerum confusio, tunc de jure, de patria, de virtute, de diis dubitatio infaustissima rem orbemque romanum invaserat :

Quippe ubi fas versum atque nefas; tot bella per orbem,  
Tam multæ scelerum facies (1)...

Quid memorem quæ C. Sallustius de moribus romanis, de corrupta civitate, de avaritia et impietate civium retulerit, quo tempore conjurationem in umbra moliretur Catilina, Tulliusque civitatem, urbem et orbem capitulis periculo servare auderet (2)?

*Infortunatam* natam te consule Roman!

Nulla deorum fides, nulla juris reverentia, nullus amor patriæ.

(1) Virgilius, *Georg.*, I, 505.

(2) Sallustius, *Catil.*, X et seq.

Et postquam J. Cæsar morientem moriens civitatem reliquit omni ambitioni audaciæque obnoxiam, quum nullum modum impietatis, nullum injustitiæ frenum jam noscerent Quirites, quam multa in animo senescentis *Patris patriæ* agitabantur! Tristis canusque, foro et senatu interdictus, deficiente patria, amicis deficientibus, quum spes ejus simul et arma pessumdarentur, de virtute tamen et patria desperare noluit, atque libros illos, usque ad hanc diem in scholis omnium populorum versatos et commendatos, omni ingenio et ardore conscripsit, in quibus honestas definiretur, jusque victum vindicaretur. Quum judicia venalia essent, jura quædam immortalia proclamavit; quum homines inter se omni scelere atque injuria certarent, societatem quamdam caritatis quasi necessariam naturæ humanæ affirmavit; et quum avunculi æmulator alter Cæsar jam tela et legiones pro fascibus et legibus præferret, exclamavit :

Cedant arma togæ (1)!

Omnem vitam suam, omnes ingenii conatus laboresque humi quasi terrena concussione jacentes aspiciens, ædificium illud destructum reficere manu voluit senili, et in firmioribus et *πρακτικωτέροις* erigere fundamentis.

Qua autem auctoritate cives suos cogeret? Quam legem divinam aut humanam invocaret? Tam multas diversasque partes opinionum qua voce conciliaret? Num poterat evocare rempublicam, concionem, curiam, jura, deos? Et quum civitatem quamdam miseræ plebi, indigno senatui dignitatem aliquam, honorem qualemcumque moribus perditis reddere conaretur, quod jus commune haberet et prætenderet, quo omnes vincirentur? Num ipse deos istos antiquos reipublicæ venerari poterat et opinione accipere, quos virtutem pro castris, Catonem pro Cæsare deserentes viderat? Adde

(1) *De Officiis*, I, 22.

quod jam spretis patriæ diis, « omnes in alienas religiones ruebant, et quidquid ex Ægypto Asiaque impurissimum afferebatur, consecrabantur (1). » Num auctores habere poterat philosophos istos, qui deos, animam, bonum et honestum negabant, atque duce Epicuro, omnia ad voluptatem referenda judicabant?

Attamen, ingenio acutissimo præditus, nullam rempublicam neque restitui posse opinabatur, neque vivere, sublatis moribus. In omni societate, etiam animalium, jus quoddam insitum existere discernebat, adeo necessarium ut, isto deficiente, societas quoque omnis deficeret. Et quum neque deo ullo, neque ulla religione fulcire moralia præcepta posset, quumque animus tamen ejus, bonus et egregius, a voluptariis moribus sceleribusque indignis abhorreret, ad stoicam disciplinam se convertit, quæ sola ex omnibus sectis quas socraticus fons alebat, de Deo quidem atque etiam de immortalitate animarum obmutescens, puros tamen mores prædicabat, et virtutem quasi unicum homini finem ostendebat.

Si quis autem dubitet eam Tullio fuisse causam cur hos libros conscriberet, in quibus nunquam de diis aut de Deo quodam mentionem fecerit, nisi eos albis dentibus deridens; in quibus nunquam animam a corpore distinctam esse professus sit; in quibus nunquam vitæ cujuscumque post mortem futuræ spem aut etiam opinionem memorarit (2), dubitantibus hoc unum considerandum ostendo, scilicet Ciceronem in omnibus scriptis philosophicis aut etiam forensibus, persæpe de vita immortalis, de pœnis post mortem et gaudiis divinis, de Deo naturaque deorum tractavisse. Quis enim nescit eum magnifice proclamasse, « mentem hominis, quamvis eam non videas, ut Deum non vides, tamen ut Deum agnoscis ex operibus ejus, sic ex memoria rerum, et inventionem, et

(1) C.-J. Benoit, *Historica de M. T. Ciceronis Officiis commentatio*, I.

(2) Hæc ad libros *de Officiis* tantum referuntur.

celeritate motus, omnique pulchritudine virtutis, vim divinam mentis agnoscito (1)? » Sed quid hæc, quæ proximum caput implent, revocare opus est?

Quam multa et præclara Cicero de parte illa sublimi philosophiæ scripsit! Quoties de Deo, de spe vitæ futuræ, de divinis pœnis aut gaudiis locutus est! Et qui tot *Epistolas* de his quæstionibus misit amicis, qui libros *de Republica*, *de Legibus*, *de Finibus bonorum et malorum*, *de Natura deorum*, *de Senectute*, *de Divinatione*, *de Amicitia*; qui *Tusculanas quæstiones* et illud celeberrimum *Somnium Scipionis* conscripsit, idem *de Officiis* scribens ne nomen quidem Dei, ne spem quidem ullam vitæ immortalis indicat!

Quamquam sæpius se ad illam Carneadeam ἐποχὴν referre videatur (2), quam plerique illi exprobrarunt, fatendum est tamen, nullum unquam sanum hominem tam longe lauteque disceptaturum fuisse de his quæ non crederet aut credere cuperet, neque illum ullo pacto rejici posse e numero Academicorum Deum defendentium et animorum immortalitatem.

Ergo novum aliquid et intentatum opus in his *Officiorum* libris suscepit Tullius, et annis et experientia maturus. *Leges* quas paulo ante scripserat, magistrum Platonem secutus, parum ad restituendos mores instaurandamque rempublicam valebant: ingeniis quorundam eruditorum quidem placere, sed prope nihil utile ad consuetudinem vitæ privatæ et publicæ præbere poterant. Tractationem executionemque officiorum docere plebem senatumque, omnes una Quirites, conatus est, atque in illud opus inductus est spe

(1) *Tusc. Quæst.*, I, 29.

(2) « Geram tibi morem, et ea quæ vis ut potero explicabo, nec tamen quasi Pythius Apollo, certa ut sint et fixa quæ dixerò, sed ut homunculus unus e multis, probabilis conjectura sequens. Ultra enim quo progrediar quam ut veri videam similia, non habeo. Certa dicent ii qui et percipi ea posse dicunt, et se sapientis esse profitentur. » *Tusc. Quæst.*, I, 9.

illa et cupiditate laudanda, scilicet ut partes civiles atque etiam philosophicas conciliaret, honestatem expirantem inter homines revocaret, patriam pereuntem servaret. Et ideo *κατασκευάζων* quemdam, ut ita dicam, officiorum, non Ciceroni modo suo, sed civibus et patriæ dicavit.

Unde fit ut, in illa politica morum institutione, brevius de *prudentia*, summa et pene divina humani ingenii virtute, disserat Tullius: quæ virtus enim, ad vitam civilem parum utilis, philosophis et doctis viris potiusquam populo proponenda videbatur. Omnibus sane bonum est scire quam sit ignorantia turpis, error quam funestus: sed ad usum vulgi totus se confert Tullius, et quum multos ex patribus amicisque suis videat, qui, senatum et patriam deserentes, sese totos litteris disciplinisque dedunt, ille vir, inter philosophos latinos egregius, cives a doctrina potius deterret quam ad doctrinam vocat; neque de prudentia alia præcepta proponit, nisi hæc, quæ sane singularia in ore prudentissimi viri videbuntur: « In veri indagazione studioque quicumque versantur caveant ne a rebus gerundis abducantur, quod contra officium est: virtutis enim laus omnis in actione consistit (1). »

Alteri autem virtuti quæ spectat ad societatem firmandam tuendamque, major datur a Cicerone locus: hanc *justitiam* latissime patere profitetur inter omnes virtutes, quod consilio totius operis consentaneum est. Rempublicam potius quam privatos curans, longius de jure belli disserit, et quum se referat, ut veterem consulem decet, ad nobilem senatoriamque partem, cujus imperio legitimo res Romana tamdiu stetit, *liberalitatem* laudat necessariam omnibus qui inter optimates habentur, et populum regere consiliis, auctoritate, legibus contendunt. Quumque amore inextincto patriam prosequatur, eoque magis diligit quo majoribus ærumnis et injuria vexetur, postquam conjugium, fami-

(1) *De Officiis*, I, 6.

liam, amicitias celebravit et extulit, affirmat, « quum omnia ratione animoque lustrarit, omnium societatum nullam esse graviorem, nullam cariorem, quam eam quæ cum republica est unicuique nostrum : cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares; *sed omneis omnium caritates patria una complexa est* (1). »

Jam tertia virtus, qua respublica romana crevit, quaque tamdiu libertas viguit, *fortitudo*, maximis a Tullio laudibus extollitur. Semper, ut sæpius diximus, ad rempublicam spectat, nilque pulchrius videre aut animo sibi fingere potest, quam fortitudinem et robur magni consulis, « qui neque opes, nec potentiam consecabitur, totamque rempublicam sic tuebitur, ut omnibus consulat...; omninoque ita justitiæ honestati que adhærescet, ut, dum ea conservet, quamvis graviter offendant, mortemque oppetat potiusquam deserat illa quæ dixi (2). »

Denique *temperantiam* ipsam ad mores potius publicos quam privatos refert, eamque virtutem collaudat, quæ cives in eligendo genere vitæ dirigit, quæ ipsos in hominum commercio habendo moderabitur, et maxime in veneranda republica tuendaque communi matre continebit. Quumque hæc præcepta semper ad optimates et patres potiusquam ad plebem et privatos pertineant, majore copia proponuntur ea quæ de magistratu, de eloquentia forensi, de clientibus curandis habentur.

Postquam autem hæc universa totius honestatis præcepta proposuit, cives ad virtutem exhortaturus multa illis præbet ante oculos exempla significantia quæ dignitas, quæ utilitas etiamque voluptas insit in virtute et honesto colendo. Quum civitas semper præsens menti ejus sese offerat, quumque minus de privata familia quam de re disserere publica velit,

(1) *De Officiis*, I, 17.

(2) *Ibid.*, I, 25.

omnia propositæ virtutis exempla ex prisca republica sumit. Persæpe laudes avorum, persæpe gloriam veterum Romanorum celebrat; persæpe cives egregios, decus reipublicæ antiquæ, memorat. Ut ordinem nominum alphabeticum in tot tamque diversis viris a Tullio laudatis prosequare, quæ et quanta narrat commendatque dicta aut facta Marci Antonii (1), Aquilii (2), Aristidis (3), Bruti (4), Catonis (5), Catulorum (6), Cimonis (7), Claudii (8), Coclitis (9), Cononis (10), Crassorum (11), Deciorum (12), Drusi (13), Epaminondæ (14), Fabii Maximi (15), Fabricii (16), Tib. Gracchi (17), Gratidiani (18), Herculis (19), Hortensii (20), Lælii (21), Lentuli (22), Lycurgi (23), Lysandri (24), Lucullorum (25), Manliorum (26), Marcelli (27), Marii (28), Metellorum (29), Mucii (30), Mummii (31), Papii et Penni (32), Pauli Æmilii (33), Pausaniæ (34), Pompeii (35), Pinthiæ et Damonis (36), Pyrrhi (37), Reguli (38), Romuli (39), Scauri (40),

(1) *De Officiis*, II, 14.

(2) *Ibid.*, III, 14.

(3) *Ibid.*, III, 4.

(4) *Ibid.*, III, 10.

(5) *Ibid.*, II, 25; III, 1.

(6) *Ibid.*, I, 22, 37.

(7) *Ibid.*, II, 18.

(8) *Ibid.*, II, 16.

(9) *Ibid.*, I, 19.

(10) *Ibid.*, I, 32.

(11) *Ibid.*, I, 37; II, 13, 16.

(12) *Ibid.*, I, 19.

(13) *Ibid.*, I, 30.

(14) *Ibid.*, I, 24, 44.

(15) *Ibid.*, I, 30.

(16) *Ibid.*, III, 4, 22.

(17) *Ibid.*, I, 22.

(18) *Ibid.*, III, 20.

(19) *Ibid.*, I, 32; III, 5.

(20) *Ibid.*, II, 16; III, 18.

(21) *De Officiis*, I, 30; III, 4.

(22) *Ibid.*, II, 16.

(23) *Ibid.*, I, 22.

(24) *Ibid.*, I, 22.

(25) *Ibid.*, I, 39; II, 14.

(26) *Ibid.*, III, 31.

(27) *Ibid.*, I, 19.

(28) *Ibid.*, III, 29.

(29) *Ibid.*, I, 25; III, 20.

(30) *Ibid.*, I, 32.

(31) *Ibid.*, II, 22.

(32) *Ibid.*, III, 11.

(33) *Ibid.*, 22.

(34) *Ibid.*, I, 22.

(35) *Ibid.*, I, 22.

(36) *Ibid.*, III, 10.

(37) *Ibid.*, I, 12.

(38) *Ibid.*, I, 13; III, 21, 27, 28, 29.

(39) *Ibid.*, III, 10.

(40) *Ibid.*, I, 30.

Scipionum (4), P. Sulpitii (2), Servii Sulpitii (3), Solonis (4), Themistoclis (5), Timothei (6), Ulyssis (7)! Nonne miraris hanc seriem celeberrimorum Græcorum civium cum Romanis mixtorum? Sive eorum facta plerumque laudat Tullius, sive aliquando non probanda censet, nescio quis vividus amor libertatis in toto opere spirat; nescio quod veterum morum priscaeque reipublicae desiderium totum opus contristat; et quoties occasio datur, odium viri boni in tyrannos, implacata severitate expressum, priscorum tyrannorum exemplis remordet recentem reipublicae oppressorem. « Oderint, dum metuant, ait tyrannus (8), » sed usque, ut superior Dionysius, ut Alexander Pheræus, ut Phalaris atque Demetrius (9), perpetuo cruciatu timoris angitur, « nam qui se metui volet, a quibus metuatur eosdem metuat ipse necesse est. Tyranno assidui adsunt angores, sollicitudines, diurni et nocturni metus, vita insidiarum periculorumque plenissima (10). » Quum rempublicam habeat Tullius sanctissimam hominum societatem, patriamque quasi matrem universam civium veneretur, pro qua dulce decorumque sit mori, nullum scelus majus et magis execrandum judicat, quam istius qui matrem ambitione et injusto regno obruat. Nec diutius in generali tyrannorum consideratione commoratus, ipsum civitatis Romanæ tyrannum Cæsarem designat, ejusque vitam miserrimam depingit: « Quem fidelem futurum fuisse ei regi putas, qui

(1) *De Officiis*, I, 22, 30, 32, 33; III, 1.

(2) *Ibid.*, II, 14.

(3) *Ibid.*, II, 19.

(4) *Ibid.*, I, 22, 30.

(5) *Ibid.*, I, 22; II, 20; III, 11.

(6) *Ibid.*, I, 32.

(7) *Ibid.*, I, 31; III, 26.

(8) *Ibid.*, I, 28.

(9) *Ibid.*, II, 7.

(10) *Ibid.*, III, 21.

exercitu populi romani populum ipsum romanum oppres-  
sisset, civitatemque non modo liberam, sed etiam gentibus  
imperantem servire sibi coegisset? Hunc tu quas conscientiae  
labes in animo censes habuisse? quae vulnera (1)? » Mons-  
trum quoddam horrendum, nil jam humani retinens, oculis  
civilibus Tullii videtur tyrannus: « Nulla societas cum tyran-  
nis... Honestum est tyrannum necare, atque hoc omne  
genus pestiferum atque impium ex hominum communitate  
exterminandum. Etenim ut membra quaedam amputantur,  
si et ipsa sanguine et tanquam spiritu carere coeperunt, et  
nocent reliquis partibus corporis; sic ista in figura hominis  
feritas et immanitas belluæ a communi tanquam humanitate  
corporis segreganda est (2). » Quin et amore patriæ justitiæ-  
que longius impulsus, magnifice laudat eum qui, quamquam  
amicum et parentem (3), Cæsarem nuper occiderit, remque  
publicam ab ista peste liberaverit, quum propria percusserit  
eum manû, « cujus vitæ ea conditio sit, ut qui illam eri-  
perit, in maxima et gratia futurus sit et gloria (4). »

Ni fallor, ex paucis istis perspicere licet quo consilio  
composuerit hos libros Tullius: quæ pleraque invenientur  
optime dicta iudicataque a doctissimo viro J. Benoit, in *His-  
torica de M. T. Ciceronis officiis commentatione*.

Si satis demonstraverimus Tullium, in libris *de Officiis*,  
hac mente impulsus fuisse, ut cives ex cupiditatibus, ava-  
ritia, luxu, amore sui solius revocaret, libertatisque et  
vitæ publicæ reparatæ laudes atque utilitatem celebraret,  
remque publicam reficere et tyrannos destruere conare-  
tur, nemo jam mirabitur illum, in hoc activo Officiorum  
συντάγματι, fontem quemdam officiorum quæsisisse, qui

(1) *De Officiis*, III, 21.

(2) *Ibid.*, III, 6.

(3) *Ibid.*, III, 5.

(4) *Ibid.*, III, 21.

omnibus pariter acceptus haberetur; neque in gravio-  
rem cecidisse vituperationem videbitur, quod omnia præcepta  
virtutis aut publicæ, aut privatæ, ab omni religione et opi-  
nionem philosophica, ab omni Jove colendo, quin et ab  
omni immortalitate animæ et sanctione divina sejunxerit  
atque, ut ita dicam, liberaverit, ut virtutem, honestatem  
atque rempublicam, ab omni disputatione et dubio et ἐποχῆ  
solutas, in omnium mentibus, haud secus atque in illis  
editis sapientum doctrina templis, collocaret et impingeret.

## CAPUT QUARTUM.

**Hæc doctrina Officiorum breviter æstimatur atque  
refutatur.**

Mox bis decem secula Ciceronis laudes confirmant; neque mihi in animo est hoc quasi decretorium et æternum abrogare iudicium. Forsitan et audacior videar, si in illa Ciceronis persona discernere velim *philosophum* ab oratore summo, a scriptore non imitabili, ab illo denique artis litterariæ amatore et artifice, qui divinam pene loquendi rationem ad eam perfectionem extulit, quam nemo unquam neque superare poterit, neque satis æmulari. Item et *philosophum* Tullium a cive quoque discernere velim, quo nullus unquam neque melior, neque patriæ amantior, neque virtutis studiosior inveniatur. Ita, ut exemplo utar, in statuis perficiendis nullus unquam artifex Phidiam superabit. Attamen si recentioribus hujus ævi sculptoribus desperandum est perfectas hominis formas purius marmore aut metallo exprimere, non inde fit ut qui hodie anatomicae studeant, accumulata sæculorum experientia ditati, non scientiam quamdam corporis et formæ habeant humanæ, cujus Phidias tantummodo lineamenta, et ut ita dicam adumbrationem cognoverit. Haud aliter legitima audacia nobis affirmare licet, quamdam hodie acquisitam esse doctrinam de naturæ mentis et animorum, doctrina Tullii certiore sane et altiore.

Homini, non docto quidem, sed polito, et a turpi atque bestiali vita in quam feræ quædam et deformatæ gentes inciderunt avvocato, inest incerta quædam et obscura suæ naturæ scientia. Nec se tantummodo ipsum, ut Cartesio placuit, et

sui naturam ipsius cognoscit, sed etiam qua congruentia et quasi connexione cum ceteris et rebus et animalibus ipse jungatur. Non jam hodie prætere licet ab homine ignorari quæcumque ipsi externa sunt: non se tantum existere conscientia novit, sed etiam, quum sensibus aut ratione utatur, quumque cetera cum se ipso, naturali quodam mentis impulsu, comparet, non terram modo et sidera et animalia cognoscit, sed alios homines sibi sensu et ratione similes esse videt, atque etiam aliud nescio quid majus potentiusque sibi et adesse et superesse præsentit, atque ut ita dicam odoratur. Omnis morum regula ex hoc uno pendet, scilicet ut nativas illas et obscuras notiones hujus conjunctionis et societatis, quam inter nos aliosque homines, aliumve quemcumque mente et libertate præditum, et nobis potentiozem, quem rationali quodam instinctu præsumimus antequam eum matura ratione cognoscimus, illas, inquam, hujus societatis notiones incertas et caligantes, pro certis definitisque notionibus vi et luce rationis mutemus. Quamdiu oculis tantum dubitantibus et quasi natantibus videbimus quæ nos vincula, non modo cum ceteris hominibus, sed etiam cum isto qualicumque Deo, ex quo nos pendentes præsentimus, jungant, mores obscuri remanebunt et natantes. Dubiaque et incerta erit disciplina eorum, qui timore vel infirmitate non audebunt aut non poterunt satis definire quod sit τοῦτο τὸ ὄν ὄντως ὄν, ex quo nostrum ὄν omnino separari non licet, nisi naturam nostram exuamus.

Longa philosophiæ historia docemur, nullam usquam de his quæ dicimus lucem certam et philosophicam, nisi in nobismetipsis, inveniri posse. Non est hic locus ostendendi quomodo existentia hujus ὄντος ὄντως ὄντως in conscio suæ existentiae animo reperiatur: attamen hoc unum revocare licet, scilicet nos homines, quum et mentis et voluntatis actionem, et agendi rationem, et opera nostra in nobismetipsis et in circumstantibus inspicimus atque consideremus,

vera necessitate rationis in hanc notionem impelli : nos ipsos, et quæcumque nos circumdent, opus quoddam esse, ratione alicujus *mentis* effectum, quam nostra quidem mente potentiolem sane et majorem, at nostræ tamen similem et vere assimilendam judicamus. Ex qua similitudine jam naturam ipsam et quasi faciem hujus *mentis* majoris, scilicet *Dei*, perspicimus, hac tamen differentia, quod Deus ipse forma est et idæa, nos autem similitudinem tantum *Dei* adumbratam referimus.

Ne tamen ab incepto longius deerremus, morumque obliviscamur. Si quis faber formam equi aut leonis exprimere aggredietur, ea tantum conditione opus perfectum producet, ut structuram feræ, totiusque corporis rationem, institutionemque et finem uniuscujusque membri pernoverit : neque unquam equo unguis inutiles, neque leoni pedem sonantem dabit : quippe quæ nec vitæ, nec naturæ equi aut leonis congruant. Haud aliter, si ad hominem spectes, agendum est. Quo igitur modo cognoscere poteris quæ connexio et congruentia sit inter voluntatem et actionem, inter hominem libertate præditum, similesque ipsius homines, quo denique modo *leges* rationis et vitæ cognoveris, nisi prius et quo consilio et quem ad finem homo natus sit perspexeris? Consilio absente, nulla jam *lex*, nullus jam *finis* intelligi potest. Nisi natura nostra supremo quodam et omnipotente et divino consilio nobis imposita fuerit, quid ex illa incerta et cæca natura haurire poteris, quod me jubeat aut vetet?

Veram ergo et vere philosophicam officiorum regulam in *natura* nostra quæsivit Tullius. Sed nisi istam mihi naturam a Deo creatore et omnipotente impositam fuisse demonstrabis, nulla erit auctoritas quæ me isti naturæ studere, istius naturæ præceptis parere cogat. Tullius animum nostrum a Deo generatum esse non negat; rationem nostram divinæ rationis participem et sociam profitetur : sed quum hæc ut placita tantum, non ut demonstrata afferre ipsi liceat,

hæc eadem, morum regulam instituens, negligit, ne quis ea negans mores quoque et officia deneget. Omnis tamen morum et officiorum quaestio ex his, quæ dicimus, emanat.

Si quis omnes scriptas deorum et hominem leges in suspitione, ut philosophum decet, habeat, mores ex naturali fonte derivandos fateatur necesse est. Sed nisi hic ipse fons divinus erit et necessarius, quæ causa erit cur potius illum quasi fluvium sequar, quam illius fluctibus resistere et obluctari, si libertas detur, aggrediar? Sanitas, ut exemplis utamur, et valetudo corporis servanda est, medicusque vocandus, si forte membra morbo laboraverint: quam ob causam? Quoniam nobis inest quidam amor conservandæ vitæ natura insitus. Sin autem libero mihi vitam quasi injustum onus rejicere et exuere placeat, quis auctor sit qui me sensui communi et vulgari hominum opinioni inservire cogat? Cur non libens moriar? Item, si meæ quamquam inest menti veritatis curiositas, hanc tamen veri inquisitionem difficiliorem et ingratiorem habeam, quam cui satisfaciendum judicem, sive mihi dulcior videatur ignorantia et torpor pigritiæ, quis mihi demonstret scientiam tamen omni ardore et labore esse quaerendam? Quin et si societatis amor innatus nimios a me conatus et duriora officia petere videatur, quam ut alios homines mihi opera conciliare tentem, quæ ratio sit, quæ me solum infestumque omni societati vivere vetet? Num mihi libertate uti ut libet non licet? Num me honestatem naturæ meæ clarius obscuriusve infusam colere oportebit, si majora gaudia, placentesque magis voluptates in virtute contemnenda inveniri opinabor? Cur non scepticam istam sententiam liber accipiam: « Contemnere et contemni; » aut etiam hanc audaciorem: « Corruptere et corrumpi? » Non sola natura, sed lege etiam naturam ipsam regente opus est, qua mores et officia recte constituentur atque legitime jubeantur.

Naturam legem esse dicis: lex ipsa erit natura, si a quo-

dam legislatore hæc natura informata fuerit : tunc in natura consilium auctoris perspicere potero, tunc in natura prævidebo quem ad finem destinatus a creatore fuerim. Nisi natura mea *mens* est, ego *mens* contemnendæ naturæ jus obtineo et exerceo. Si natura mea a *mente* quadam superiore constituitur, tunc vera lex est, namque in natura video quem me et esse et fieri velit omnipotens illa *mens*, vitæ meæ conditrix et naturæ fabricatrix. Num ad usum quemdam fabricatum fuisse dicas id quod nullus faber fecerit? In natura nostra si quemdam vitæ usum, si quamdam officiorum legem perspicimus, hunc usum et hanc legem a Deo optimo maximo imposita fuisse oportet. Legislatore absente, quæ lex subest? Aperiendum est quid sit *lex* : quumque legem aut naturam aut etiam rationem esse opinetur Tullius, neque tamen naturam nec rationem definitione satis explicet, conditionem amovet qua sola et vigere potest ulla lex, et esse : Deum. Lex est ratio summa quæ jubet : optime demonstravit recentior quidam philosophus unam esse in mundo legem, scilicet Deum jubentem (1) ; et hanc veram legem ab ipso Tullio definitam invenimus, quum declarat « hanc sapientissimorum fuisse sententiam, principem legem illam et ultimam, mentem esse omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei (2). » Sed quum hæc tam necessaria demonstrare non valeret, negligenda potius in officiorum institutione judicavit. Verus autem Deus est mens summa, quæ et creat, et creata servat et amat, et quæ sibi placeant jubet voluntate perfecta : quæ voluntas, lex est.

Non aliter de utilitate a Tullio proposita judicandum est. Quæ potest esse cujuscumque rei vel animalis utilitas, nisi ut eum, ad quem destinatum fuerit, finem attingat? Et tunc omnem illam, de qua tamdiu philosophi

(1) Th. Jouffroy, *Cours de droit naturel*, leçon 31 : « Il n'y a qu'une loi au monde, qui est la loi de Dieu. »

(2) *De Legibus*, II, 4. Vid. sup., p. 21 et seq.

veteres disputarunt, quaestionem τῶν τελῶν explorare licet. Si Deum esse optimum maximum, vitæ et legis auctorem, profiteberis, qui nos immortales ad finem quemdam sublimem destinarit, tunc mihi utile erit naturam observare meam; tunc in lege colenda, in honestate omnibus rebus et ipsi vitæ antehabenda, summam utilitatem et summum meum finem inveniam. Quæ autem utilitas esse potest illi, qui nesciat et quo auctore et quem ad finem vivat? Deo absente, immortalitate negata, (et sæpius immortalitatem quasi fictam fabulam a Tullio rejectam videmus) (1), quis jam est finis, quod est bonum? Nonne mihi licet bonum quoddam proprium et fictum proponere ac persequi? Attamen hunc finem et hanc utilitatem adeo imposuit nobis Deus, ut, etiam Deum ignorantes, hæc tamen in gaudio illo tacito et pura voluptate conscii suæ virtutis animi, ut Tullianus Regulus, inveniamus. Sed cur Tullio Catilina non responderit se finem et utilitatem, et conscia mentis gaudia in omni scelere et turpitudine et indignis facinoribus invenisse?

Nec plura. Sane quidem temporibus, ut jam diximus, diris, Tullius, quum nubibus insanæ religionis obscuratam Dei naturam et notionem videret, sperare potuit se leges officiorum e natura tantum expressurum esse, contentusque fuit, si legis hujus qualiscumque qualemcumque sanctionem in incerta utilitate proponeret. Talibus autem hodie nobis contentis esse non licet. Natura male definita, cujus neque origo, neque finis, neque ulla facultas satis determinatur, nullam legem, nisi incertam et prope inutilem, producere et fulcire valet Tullius. Quum de Deo creatore et legislatore obmutuit, omnem vim omnemque auctoritatem naturali morum institutioni abstulit. Atque illi qui Tullium hodie

(1) *Tusc. Quæst.*, I, 5, 6, 8, 16, 21, 32, 34, 36, etc.; *De Nat. Deor.*, II, 2 *Pro Cluent.*, 61; *Epist. ad div.*, VI, 3; *De Senect.*, 19, etc.

sequuntur, aut mores et officia omnino abrogant, si naturam solam sine Deo naturæ auctore invocant, et legem vanam sine legislatore et sine sanctione proferunt; aut quasi substratum huic naturæ Deum accipientes inseci venerantur, et eadem mente impelluntur qua omnes philosophi christiani, qui libros *de Officiis* legentes et admirantes, semper divinam quamdam Dei notionem in mente habuerunt adeo vigentem, ut nunquam istorum *Officiorum* fragilitatem et inanitatem perspexerint.

Nostris temporibus, notio vera et christiana Dei omnes animos penitus adeo penetravit, ut facilius hunc Deum, quasi infusum nobis omnibus, loquentes aut ratiocinantes tacita quadam conventionem aut ludibrio mentis omittamus. Quo frequentiore apud philosophos nostros errore comprobari censeo quanto altius invictiusque in mentibus etiam impiis veri Dei fides inveterata figatur. Cujus sine notione, nulla jam honestas, nulla veritas, nulla pulchritudo, nulla etiam de animis, de vita, de natura nostra certior doctrina definiri potest; et si hunc necessarium veræ probandæque philosophiæ fontem neglexeris, omnis et morum et doctrinæ fluvius quasi exhaustus evanescet.

FINIS.

Vidi ac-perlegi:

Lutetiæ Parisiorum in Sorbona, a. d. xv kal. sept.  
ann. M DCCC LXVII,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,  
PATIN.

Typis mandetur:

*Academia Parisiensis Rector,*

A. MOURIER.



## INDEX CAPITUM.

---

CAPUT I. — OFFICIORUM, IN LIBRIS <i>de Officiis</i> , PRINCIPIUM ET SANCTIO. . . . .	5
§ I. — Officiorum principium. . . . .	5
§ II. — Officiorum sanctio. . . . .	9
CAPUT II. — LIBRI <i>de Officiis</i> CUM CETERIS PHILOSOPHICIS TULLII SCRIPTIS COLLATI. . . . .	17
§ I. — De finibus bonorum et malorum. . . . .	18
§ II. — De natura et ratione. . . . .	21
§ III. — De immortalitate. . . . .	24
CAPUT III. — QUIBUS TEMPORIBUS ET QUAE MENTE LIBROS <i>de Officiis</i> CONSCRIPSERIT TULLIUS. . . . .	27
CAPUT IV. — HÆC DOCTRINA <i>Officiorum</i> BREVITER ÆSTIMATUR ATQUE REFUTATUR. . . . .	37





Small, faint, vertically oriented text or markings on the left side of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

